



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

23. De opere quintæ diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

gat metalla, absumit humiditates, emollit, liquatque dura, & plura alia præstat. ut deceat inde glorificare datorem.

Ergo *confitemini Domino, quoniam bonus, ps. 135.*
qui fecit luminaria magna, solem in potestatem 17.
diei, lunam & stellas in potestatem noctis; quin
& ignem, ut luceret eis per noctem.

Ignis est symbolum Divinitatis: ut in adventu Spiritus sancti consideratum fuit, & nunc in eo, quod supplet defectus creaturarum, ut dictum de igne, cum humana desunt auxilia, & communicat seipsum liberaliter. *Accedite ps. 33. 6.*
ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.

MEDITATIO XXIII.

De opere quinta diei.

PUNCTUM PRIMUM.

Producant aqua reptile anima viventis. *Ad Gen. 1.*
hoc imperium repleta sunt maria & flumina *20.*
piscibus supra numerum terrestrium, & volatili- *Pisces.*
um animantium, figura specie diversissimis,
magnitudine excedentibus quævis terrestria.
Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic ps. 103.
reptilia, quorum non est numerus, animalia pu- 25.
silla cum magnis: illic draco, quem formasti ad
illudendum ei: & hæc ad usum & delicias ho-
minis, & oblectationem in capiendis. Vt præ- Gen. 1.
esset, inquit, piscibus maris, & Noë dixit: Omnes 26.

Aa 5

pisces *Cap. 9. 29*

pisces maris manui vestra traditi sunt, & erunt vobis in cibum.

Atque ut beneficium esset perenne, benedixit illis dicens : *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.* Lauda potentiam atque providentiam.

PUNCTUM II.

Gen. I.
26.
Aves.
Com-
moda.

ET aqua producant volatile super terram, sub firmamento caeli. Ex eadem materia, quâ pisces : sed subtiliori, & magis aëreâ, ut aër etiam concurreret ad animantes, quarum sedes erat. Agnosce potentiam.

At providentiam ex commodis. Aliæ aves delicatè nutriunt nos, aliæ cantu demulcent, aliæ plumis suis ornant, aliæ docent, dum artificiosè nidos construunt, provident pullis, tempora observant. Et Deus ipse talibus se similem facit, *aquilæ provocanti pullos ad volatum : gallinæ congreganti sub alas.* Discere verò vult nos ex milvo agnoscente tempus suum, & turture, hirundine, ciconia : *Populus autem meus non cognovit judicia Domini.* Utimur quibusdam ad venandum alias, & sagacitatem ab eis discimus. Apis verò qualis industria, quod regimen, quæ utilitates ?

Gratias agam : imitabor aves pernicitate in divino servitio, volatu ad cœlestia, & reliquâ industriâ.

PUN-

Pf. 76.
13.
Sapientia
divina
inven-
ta.

I.
Heb. 11.
3.
II.
Gen. 2. 7
Gen. 2. 7

1. Reg. 2
3.
III.

IV.

PUNCTUM III.

Vidit, quòd bonum esset : probavit Deus.
 1. Convenit, ut simul aquæ, & aër reple-
 rentur, & ornarentur. quia sunt affinia : ita De-
 us benefacit conjunctis charitate. 2. Sed & si-
 gnificatur, quod ex regeneratis aquâ baptismi,
 alij in sæculo manent, alij cœlestem vitam am-
 plectuntur : *Ex aquis ortum genus partim re-
 mittis gurgiti, partim levas in aëra.* Duplex est
 vita, activa & contemplativa : priores sunt, ut
 Martha : qui turbantur circa plurima, ut qui in
 mari : posteriores, ut Magdalena, quæ partem
 optimam elegit : utrosque probat Deus, sed hos
 maximè : illi in falsis & amaris aquis manent,
 quia pœnitentiæ lachrymis opus habent assi-
 duis : istorum etiam lachrymæ sunt aquæ dul-
 ces, ut ex quibus aves exciterunt : prius narra-
 tur de piscibus, quia in activa prius exerceri o-
 portet, & Lia prior ducta fuit, quàm Rachel.

Benedixit eis, ut multiplicarentur : utra-
 que vita gignit Christo filios, sed activa plures,
 uti & pisces, quàm aves, & Lia, quàm Rachel :

sed hæc perfectos. Cupiam jungere

utramque, ut & una die

pisces & aves.



ME-

Docu-
menta.

1.

2.